



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXV. Christus in cruce pendens, peccatores recipit, sed in
judicio rejicit; attende hïc tibi Lector prudens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

S. Chrysoft.
fer. de Bono
latrone.

Taulerus
cap. 43.

7. Christo agonizanti in horto Gethsemani Pater in solatium S. Angelum Michaëlem submitit, qui confortaret eum, in cruce inter summos pendenti dolores nullum submitit, qui morientem consolaretur Filium. Et quare hoc? R. S. Chrysoftomus: *In horto*, inquit, *Christus confortatus fuit ab Angelo, & in cruce à latrone pœnitente*, cujus pœnitentia inagis morienti Redemptori nostro placuit, quàm si Pater plures Angelorum exercitus sibi submitisset ad consolandum. Proinde pereleganter & optimè devotissimus Taulerus: *Novum hunc fructum*, ait, *& primum botrum*, quem Dominus JESUS ex infœcundo solo nostro, multo sudore, multâque pretiosi sanguinis sui irrigatione in ligno crucis suæ obtinuit, cœlesti Patri suo, ceu pretiosum munus ingenti cum gaudio per Legatos Angelos misit. Quod si gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quæ illic lætitia de hujus est Latronis concepta salute, quam jam propè desperaverant? quanto putamus cum gaudio Pater cœlestis primitias has frugum Passionis Filii sui suscepit? O peccatores omnes, quare in peccatis vestris mori vultis? Ecce ærarium in cruce apertum est, in quo omnes thesauri sunt absconditi; ite cum Bono hoc latrone in animo contrito ac humiliato ad crucifixum JESUM, & invenietis requiem animabus vestris.



CONSIDERATIO LXV.

Christus in cruce pendens peccatores recipit, sed in judicio rejicit. Attende hic Lector prudens.

Quia hic peccatores recipit. Luc. 15. 2.

I.

4. Reg. 6. 6. **E**liseus Propheta per vile lignum ferrum durissimum in aqua Jordanismersum enatare fecit, & ad se mirabiliter attraxit: *Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natavitque ferrum.* Christus Dominus plusquàm Eliseus per lignum crucis ad se ferrea peccatorum pectora attraxit, & etiam nunc attrahit, unde dixit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Audiamus hic S. Augu.

Jo. 12. 32.

Augustinum: Veniens Eliseus, inquit, misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare? O peccatores omnem erigite vos in spem, in cruce Jesus peccatores recipit, sed si renuitis ad eum venire, in iudicio rejicit. Eligite, dum tempus affulget gratiarum.

S. August. serm. 210. de Temp.

2. Errat una Pastoris ovicula, sed totus grex unâ hâc carior non erat, proinde tam sedulo conquiritur, & inventa humeris boni illius Pastoris imponitur. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Quid pientissimus Redemptor noster per hosce humeros insinuaverit, Glossa pereleganter exponit: *Humeri Christi crucis brachia sunt*, qui semper sunt parati ad animam nostram, perditam illam oviculam, sublevandam, & ad coeleste ovile deportandam; hinc rectè S. Bernhardinus: *Configitur*, inquit, *Christus duris clavis, ut inseparabiles humeri ejus sint ab inventa ove.* O charitatem immensam!

Luc. 15. 5.

S. Bernhard. de dignit. animæ a. 3. cap. I.

3. Hanc veritatem optimè agnovit Vates Regius, unde ad Deum orare solebat: *Erravi sicut ovis qua perivi.* Ovis errans, si non à Pastore reducitur, perditur, fitque præda luporum, & si non balatu suo se manifestat, ac pastoris auxilium invocat, actum est de illa; hinc rursus David: *Quare servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* En anima peccatrix! formam hic habes, quomodo ad Crucifixum Pastorem tuum in omni necessitate, ac præsertim mentis anxietate debeas contugere; clama, & invoca illius opem, & non te deseret: *Ovis illa*, ait S. Ambrosius, *qua perierat in Adam, levatur in Christo: Humeri Christi Crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobili cervice requievi.* Si autem non vis venire, perditio tua ex te, ô Israel! *Nunc recipit, tunc rejicit.*

Psal. 118. 176

S. Ambros. in Luc. 15. 5.

4. Rectè Isaias Propheta de Christo Domino in cruce exaltando vaticinatus est: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri, & idè exaltabitur parvulus vobis;* Expectat, inquam, te, ô peccator! ferreis in fatali ligno affixus clavis, ut suam tibi exhibeat misericordiam, ac delictorum veniam, quia libentius vult ignoscere, quàm punire; & tu, heu miser! adhuc moras trahis ad amplexus tui venire crucifixi Amoris? Audi, & considera verba S. Bernhardini: *Clamat, dicens, ô anima mea dilecta, brachiis in cruce expansis benignissimè te expecto, ulcisci dissimulo, à multis periculis libero; revertere, cum gaudenter te suscipio, omnem offensam remitto, gratiam liberaliter tibi dono, & datam multiplico, multiplicatam conservabo, conservatamque in æternum remunerabor.* Et quis obsecro, non veniat ad talem Dominum, qui in charitate perpetua dilexit nos, cujus misericordiæ fons non siccat, nisi tu prius fueris exsiccatus?

Isa. 30. 18.

S. Bernhard. to. 2. de Orig. verit. ser. 1. a. 3. c. 2.

5. Venit filius degener & prodigus, nunc animitus de suis poenitens peccatis, à porcorum siliquis ad amantissimum Patrem suum, nudus ac lacer, & vix præ fame ossibus hærens; & quid Pater? Sacer textus habet: *Cum adhuc longè esset, vidit illum Pater ipse, & misericordiam motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Anime mi! Pater, ac Redemptor tuus Christus est: *Amodò voca eum; Pater meus es tu*, quia ipse creavit, ac redemit te; cur ergo non dicis pariter cum illo prodigo ad se reverso: *Surgam, & ibo ad Patrem meum?* Cur non ingenuè confiteris: *Pater, peccavi in cælum & coram te?* Noli timere, non exprobrabit tibi licet filio degeneri malos tuos mores, quia cor contritum & humiliatum diligit, sed occurret tibi in cruce expansis brachiis ac manibus, & amplexabitur te, præbens paternum inclinato capite pacis osculum. Subintrat hic S. Chrysológus: *Non dixit: Unde venis? quid fecisti? Ubi sunt qua tulisti? quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutasti? Sed citò proferte stolam primam, & induite illum; Videtis quia delicta non videt vis amoris? O verè vis amoris! quia tam pater nemo, tam pius nemo, quàm JESUS CHRISTUS, & hic crucifixus.*

6. Et quis, obsecro, non obstupescat, si attentiore mente expendat, quòd Dominus JESUS in infami exaltatus ligno non Angelos, sed meros peccatores, lictores, latrones, milites & infimæ sæcis homines voluerit habere præsentés, & assistentes? In monte Olivario in cruenta illa agonia apparuit illi Angelus de cælo, *consortans eum*, in cruce nullus se illi spectabilem reddidit; amarè quidem flebant omnes Angeli pacis, sed nullus venit ad confortandum & consolandum eum, & quæ causa?

R. Eusebius Emiffenus, quòd bonus latro *gloriosâ voce præsentés temporavit dolores*, cæterique adstantes peccatores, in morte Christi conversi, de quibus S. Lucas: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Hoc morienti Domino summo erat solatio conversio tot peccatorum, & ideo in cruce à peccatoribus circumdari voluit, & ideo spectaculum factus est DEO, Angelis & hominibus, & nunquid & tibi, ô mi Lector?

7. Cæterùm in lege civili sancitum est, ut in atrocissimis & jam notis delictis reo in tribunali non permittatur Advocatus, neque recursus ad appellationem. Non sic in lege gratiæ, non sic; & licet innumera sint nostra delicta, morte & inferno digna, habemus tamen apud Patrem potentissimum advocatum, Christum JESUM & hunc crucifixum; unde S. Joannes: *Filioli: hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JESUM CHRISTUM JUSTUM, & ne aliquam possis habere in illo diffidentiam, mox addidit: Ipse est propitiatio pro*

Luc. 15. 20.

Jer. 3. 4.

S. Chrysol.
serm. 3.

Luc. 22. 43.

Euseb. Emiff.
hom. de bo
no latrone.
Luc. 23. 48.

I Jo. 2. 1.

pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & totius mundi, ideo enim crucifixus est, ut peccata nostra destrueret, atque deleteret.

8. Ad exempla transeamus. Refert Alegambe ex Societate JESU Alegambe in Bibliotheca. de quodam Venerabili Patre ex eadem Sacra Societate, quod per omnem vitæ cursum passioni Christi ac præsertim ejus in cruce agoni fuerit addictissimus; unde ferventissimis quotidie desideriis ab hoc crucifixo Amore suo flagitabat, ne in mortis articulo ab eo desereretur. Et ecce ingens prodigium, cum nunc suprema immineret hora, quæ ex hac mortali vita migraret ad meliorem, imaginem crucifixi Domini sui arctissimè complexus est, illud Davidicum fractâ jam voce identidem ingeminans: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Interim observabant circumstantes, quod ligneum Christi corpus paulatim de cruce se solveret, clavi à manibus ac pedibus sese enodarent, & crucifixus Dominus os ad os, & cor ad cor ejus applicaret, in cujus sacratissimo osculo & amplexu beatam expiravit animam. O felix mors! & optabilis fors, sic posse aliquando mori. Ecce in cruce nos recipit, sed & rejicit, quod ex sequenti patet exemplo.

9. Recenset Philippus Chifelius de quodam Juvene vitam pluribus contaminatam sceleribus agente. Tandem completâ peccatorum mensurâ in fatalem morbum incidit, in quo neque ad pœnitentiam, neque ad confessionem Sacramentalem piorum precibus, neque ipsò Crucifixi aspectu poterat commoveri. Et quid tandem factum est? Ipse erucifixus Dominus in imagine sua horrendam contra eum æternæ damnationis fulminavit sententiam, dum dexterâ, à stipite crucis resolutâ, ex laterali Vulnere extractas aliquot divini cruoris guttas in faciem morientis coniecit, ingeminatâ hac voce terrificâ: *Sanguis meus sit tibi in perditionem: Sit tibi nota in omnem aternitatem, quod illi fueris ingratus;* ad quod fulmen miserrimus infelicem animam in Orcum evomuit. Ecce in cruce recipit & rejicit. Tunc in morte impœnitentibus veneranda Domini Vulnera aeternaerunt incendia, piis verò perpetui amoris testimonia, & fors beata, de qua Vates Jessæus: *Deus meus es tu, & in manibus tuis sortes mea,* hoc est: in manibus vulneratis, & in cruce perforatis erit fors nostra in aeternum. Utinam & mea!

Philipp. Chifel. p. 1. Dom. 2. adv.

S. Rup. l. 4. in Joan. Psal. 30, 10.

